

Lettera apostolica *Quamvis Urbs Roma* di papa Pio IX

(ASS 1/1866, pp. 744-746)

PIUS PP IX

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quamvis Urbs Roma Beatissimos Apostolorum Principes tamquam praecipuos Patronos suos veneretur, et colat, quippe quae ipsorum labore ac sanguine magistra cum esset erroris, magistra effecta est veritatis, novumque adepta imperii genus multo latius dominetur religione divina, quam ditione terrena; trepidis tamen in rebus implorare consuevit aliorum etiam sanctorum Coelitem auxilium, qui hic in terris degentes Urbem ipsam et collustrarunt splendore virtutum et bene factis cumularunt. Horum numero accensenda profecto est sancta Catharina Senensis ex tertio Ordine s. Dominici, quae virginitatis decus cum eximia aliarum virtutum laude coniungens, Avenionem profecta ad Gregorium XI Praedecessorem Nostrum, inibi cum Cardinalibus, aliisque Pontificiae aulae proceribus commorantem, votum de repetenda Urbe, quod is occulte Deo nuncupaverat, superno recreata lumine, eidem manifestavit, aperuit, atque adeo auctrix fuit, ut promissum reditum pro communi rei christianae bono, et faustitate maturaret. Quantum vero detrimenti Roma cepisset ex diuturna Summorum Pontificum absentia, satis loquuntur historiae. Videre erat fatiscientia, et squalore obsita sacra templa, domos, viasque cruentis factionum caedibus funestatas, longe imminutum incolarum numerum, denique quocumque incidissent oculi, vix ullum reperissent veteris amplitudinis, ac magnificentiae vestigium.

Quae deterrima rerum facies immutata prorsus est remigrante Summo Pontifice, et pristinus Urbi splendor restitutus, sic ut illa in posterum extiterit nedum verae fidei arx et propugnaculum, sed artium etiam optimarum praecipua sedes ac domicilium.

Porro quum iniquissimo hoc tempore redintegratum contra Ecclesiam fuerit bellum durum sane, ac perfidiosum, hostesque Catholici nominis extorquere conentur Romanis Pontificibus civilem ditionem, divinae Providentiae consilio illis comparatum ad liberius exequendum Apostolici muneris officium, idque etiam intendant, ut rursus desideretur in Urbe Petri Successorum praesentia, idcirco Senatus Romanus ad tantum propulsandum malum eludendasque impiorum hominum fraudes implorare constituit s. Catharinae Senensis caeleste praesidium, humilesque Nobis preces exhibuit, ut illam inter secundarios Urbis Patronos adsciscamus.

Nos proinde, qui in tantis difficultatibus rerum ac temporum ex caelitem Sanctorum interventu facilius expectamus a bonorum omnium datore Deo subsidium, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, legitimis ritibus tuendis praepositorum, porrectis eiusmodi precibus adnuendum censuimus.

Itaque per praesentes Nostras Litteras s. Catharinam Senensem Virginem ex tertio Ordine s. Dominici Almae Urbis Nostrae Patronam secundariam Auctoritate Nostra Apostolica constituimus, declaramus, atque in eius festo die Missam, et Officium sub ritu duplici secundae classis ab utroque Clero, et Sanctimonialibus Urbis, eiusque districtus recitari mandamus.

Decernentes has Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit

plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis speciali licet mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Aprilis Anno MDCCCLXVI, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

N. Card. PARACCIANI CLARELLII

Locus Sigilli